PROEMIUM.

INter varia ἀπότελα, in theoriam modernorum medicam temerè invecta, haud postremum sibi locum vindicant variæ *curiositates anatomicæ*, quæ, utut suo loco relictæ, elato æque supercilio contemni non mereantur, incautis tamen non leves tam in pathologia quàm therapia errandi occasiones subministrare possunt, imò, multiplici experientia teste, etiam solent. Non placet equidem theseos hujus veritatem magno exemplorum, ubique alias sese offerentium, numero confirmare: Sed sufficiet hac vice, sola *pulmonum* inductione, eandem ob oculos posuisse. Rectè quidem, explosâ veterum sententia de parenchymatica pulmonum substantia, docent noviores Anatomici, pulmonem esse viscus tenerrimum, vesicularis texturæ, summi non modò usus sed & necessitatis in œconomia animali, ut, admissa semel insigniori illius læsione, hæc diu superstes esse, aut officia illa, quibus destinatum est viscus, dextrè præstare nequeat: Cavendum tamen, ne quem artificem curiosior texturæ hujus perquisitio seducat, ad præpostere inde concludendum, quasi nempe summa pulmonum teneritudo & vesicularis textura quibusvis læsionibus tàm externis quàm internis tàm facilè atque familiariter pateat, ut singulis quasi momentis illæ pertimescendæ sint: Aliter enim sese habere

negotium, demonſtrat imprimis ſumma gravioris ac penitioris pulmonum corruptionis ulceroſæ, quam *Phthiſin pulmonalem* vulgò vocant Practici, *infrequentia*: Quandoquidem, non obſtante mirabili texturæ ſubtilitate, ad actualem continui ſolutionem rariſſimè viſcus tranſire obſervamus, &, quæ adhuc in illud redundant injuriæ ac læſiones, longè probabilius a perverſis medentium artificiis quàm ſpontaneo ſucceſſu ortum traxiſſe, oſtendi clarè poſſunt. Nolim tamen ideò præfractè negare, ita nonnunquàm prævaleſcere poſſe violentias quasdam internas æquè ac externas, ut profundam tandem texturæ pulmonum læſionem, quam Phthiſis ſerius ocyus ſubſequitur, inducere aptæ natæ ſint. Cum autem vulgo Practicorum nihil uſitatius eſſe ſoleat, quam Phthiſicos declarare omnes, in quibus tabidam quandam corporis conſumptionem obſervant, ſalva interim, illæſa & omnino integra pulmonum ſubſtantia, hac verò ratione multis haud facilè evitandis *æquivocationibus* via tantum pandatur: Hinc operæ pretium duxi, veram *Phthiſeos pulmonalis* naturam ita ſiſtere, ut non ſolum quoad *ſcientiam theoreticam* rectè æſtimetur, ſed & quoad *peritiam practicam* ita in uſum deducatur, ut non ſolum nulla ægrotantibus cauſa relinquatur, cum fœmina hæmorrhöuſa quiritandi, quod omnes ſuas facultates fruſtra & inutiliter in Medicos impenderint, ſed & ipſi quoque arti ſuus honor, dignitas & præſtantia conſervetur. Faxit DEUS, ut omnia cedant feliciter!

§. I.